Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36558
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

nauis mane et retro orizontem efficit. Dies uulga-
ris habet tres diuisiones. mane. meridiem. supremum. Ma-
ne a bortu solis usque ad tertiam horam dicitur a mano quod est
bonum. Nichil enim melius luce. vel a manibus id est diis in-
fernalibus qui diem tota nocte inclusum mane emittunt.
Meridies est media dies. et dicitur quasi mera id est pura dies.
Supremum ab hora nona usque ad solis occasum. et dici-
tur quod supprimat solis cursum. Hebrei. chaldei. et perse
diem a mane inchoantes in mane finiunt. Egyp-
tii ab occasu usque ad occasum. Romani a medio noctis
usque in medium. Umbri et athenienses a meridie us-
que in meridiem. Xpiani a uespera usque uesperam. Sic autem
hebrei nominant dies. Una sabbati uel sabbatorum. uel
prima sabbati. secunda sabbati. tercia sabbati. quarta sabbati. v.
sabbati. vi. sabbati. sabbatum. Pagani uero sic. Dies solis. Dies
lune. Dies martis. Dies mercurii. Dies iouis. Dies
ueneris. Dies saturni. Sed cum hec nomina a planetis ha-
beant. uidendum cur eundem ordinem seruent. Sed hec
causa est. Dies naturalis diuiditur in xxiiii horas.
Ex quibus singulis unicuique planete percurrenti tribuitur una
hora. tribuitur. expensis omnibus eius planete prima te-
rum obuenerit. huic et nomen diei ascribitur. Xpiani
autem sic dies nominant. Dominica dies. ii. feria. iii feria. iiii.
feria. v. feria. vi. feria. Sabbatum. Nox dicitur a nocendo eo quod no-
ceat oculis. Est autem nox solis absentia terre umbra. Fit
autem umbra a corpore et luce. Dum enim lux solis est sub
terra. corpus terre umbram superius porrigit. que usque ad lunam per-
tingit. Dicitur autem umbra quasi ob radium scilicet so-
lis. Ubi lux par est corpori. ibi par est et umbra. Ubi
lux maior corpore. ibi umbra deficit. Ubi lux cor-
pore exilior. ibi umbra in infinitum crescit. Cum